

quum plerique malint diuitiis florere desides et rudes et neglegentes, quam diligentes et eruditi et assidui excellere nominis gloria; quum plerisque cognitio Graecarum litterarum videatur cum permultis et permagnis molestiis coniuncta; vix sperandum intellegitur, multos ipsa Graeciae monumenta adiuturos esse atque visuros. Sed quum nemo facile adeo hebes reperiatur, quin videat sua sponte, qui velit aliquam liberalis doctrinae laudem consequi, eum carere Latinarum litterarum auxiliis nullo modo posse; quum nemo facile rationibus suis adeo inimicus videri velit, quin lectionem librorum copiis sapientiae barbarae plenissimorum praefendam putet libellorum nugis vernaculis refertissimorum lectioni: nonne speremus, libros Graecos, Latine conuersos, libenter et cupide lectum iri ab multis eorum, qui sint ipsius sermonis Graeci plane expertes et rudes? nonne fateamur, operam huiusmodi interpretum librorum Graecorum esse longe vtilissimam, atque adeo plausu et approbatione omnium multo dignissimam? Cicero certe ipse alique Romani impertiere eadem opera ciuibus suis diuitias sapientiae Graecae ingentes, eoque beneficio sibi vniuersam ciuitatem deuinxere non parum.

II. Utinam vero omnes Graecorum librorum interpretes Latini attulissent semper eandem vtriusque linguae scientiam; utinam probassent omnes eandem in interpretando diligentiam, qua instructos accessisse ad eos conuertendos, quam probasse, admiramur veteres illos Romanos! Nullus enim liber Graecus reperietur facile Latine ita conuersus, quin occurrant multa, quae vel perperam explicata sint, vel certe